

tribus locis Scalani premerentur . Anceps primo consilio-  
rum , qua potissimum via ingressus se hostium conatibus  
objiceret : demum post multas cogitationes ad vim & arma  
ferox Mastini animus respicere cœpit . Constituit itaque acie  
cum iis qui aderant dimicare . At vero priusquam ad pugnam  
exiret , Franciscum filium , puerum adhuc , Spinetam Mar-  
chionem , Guidonem Corregiarium , & Paulum Aligerium  
urbis Prætorem , equestri dignitate donavit . Eruptione igi-  
tur repente facta , cum tumultu ad hostem vadit , in conspe-  
ctuque aciem explicat , nullam pugnae moram , si per eum li-  
cuisset , facturum . Cessit Marsilius , cesserunt alii , prælio ab-  
stinentes , rati , satius esse bellum in longum trahi , cuius  
onus apparebat Mastinum haud diutius laturum , quam sum-  
mam rei in unius pugnae eventum conjicere . Cedentes igitur  
potius quam fugientes , in Mantuanos se fines recepere . Ille  
vero præsentis successu , quasi acie vicisset , elatus , cum tri-  
bus millibus equitum , ac peditum robore , Patavium conti-  
nuo venit : inde ad Bubulentam , ubi Venetæ copiae erant ,  
castra movit . Hic subito accessu viginti Venetorum navigiis ,  
quæ circa munitiones erant , oppressis , præsidium oppugna-  
re est adortus . Quo strenue defenso , ad duo millia passuum  
inde inferiore loco juxta amnem confedit , consilio videlicet ,  
commeatus qui ex urbe aquis subvehebantur , intercludendi :  
quod facilius consecutus esset , si inter Bubulentam , ut  
ajunt , & Mestram confedisset . Rubrius ad submovendum  
loco hostem dicitur vim magnam contusi gualdi ( herba est  
ad fullonicam imprimis apta ) superiore parte in fluvium de-  
jecta , aquationem Scalanis infestam reddidisse , aqua parum  
perspicua facta , cæterum gustui amarissima . Sed quum pro-  
ximo hoste , Veneta castra laborare fame cœpissent , reditus  
Marsilii , ob hoc ipsum credo accersiti , effecit , ut auctis  
copiis , possent quo vellent , Veneti mutare castra : quippe qui  
nihilo jam pauciores Scalanis essent . Verum sic quoque di-  
citur Petrus ab hoste laceffit , consulto pugnam detrectas-  
se . Perspiciebat ille , Mastinum tantum belli onus haud diu-  
tius laturum : seque parum prudenter facere , quando hostem  
jam semifractum cerneret , cum quo etiam non multo post  
fine